

www.e-rara.ch

Explanatio epistolae apostoli Pauli ad Philemonem ...

Humel, Johann Henrich

Tiguri, 1670

Zentralbibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-16373>

Sermo LXXIV.

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

tis fidem : potesne amare Deum in mediis ignibus cum Jobo? Si potes inclamare Deum, &c. secundum antè dicta *Τεμπήρια*, tum reverà fides tua firma ; nam homines infirmæ fidei, ut superius audivisti, sæpe impatientes sunt in acerbis tentationibus, sæpe etiam festinant tum respectu temporis, quando expectare non sustinent ; tum etiam respectu mediorem, quæ adhibent sæpe adversa vel sinistra: adhuc dum consulunt carnem & sanguinem ; & si Deus non illicò audit, impatientes sunt ; & quæ sunt ejusmodi alia. Inquis, ah hæc ipsa est mea conditio, quondam etiam fruebar fide firmâ, sed jam se res aliter habet ! Bene est, anima fidelis, frue- re interea solatio illo quadruplici, & diligenter usurpa media, per quæ rursus ad fidei firmitatem peringere potes

1. Respice, & converte te ad Deum, &c.
2. Clama cum Davide, Psal. 51: 12. *Redde mihi Spiritum*, &c. & Psal. 4: 7. *Lucere sine faciem tuam super me*, &c.
3. Certa & pugna contra infidelitatem cordis tui cum Davide. Psal. 42: *Quid perstre- pis anima mea in me ?*
4. Firma fidem tuam beneficiis præceda- neis, quibus fruebaris, Rom. 11. 29.
5. Considera diligenter Christi perso- nam, naturas, officia, &c.

Πληροφορία

Hoc si feceris, non solum pervenies ad firmitatem fidei, sed ad plenitudinem ejus, ad *πληροφορίαν* ipsam, ubi anima plenis velis cœlestem patriam subit, qui supremus est gradus fidei, similis monti Pilgæ, è cuius fastigio prospicere datur Patriam versus, cœlestem Canaan, vitam æternam, ubi habitat Deus Pater, Filius & Spiritus sanctus, æterna & beata Trinitas, &c. Cui laus & gloria in sempiterna secula, Amen.

SERMO LXXIV.

Textus idem, Philem. v. 6.

Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεώς σου ἐνεργῆς γένηται ἐν τῇ ἐπιγαώσει παντὸς ἀγα- θῆ τῶ ἐν ὑμῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν.

UT communicatio fidei tuæ efficax fiat, ut agnoscat quicquid boni est in vobis per Jesum Christum.

Exordium.

Lucerna non accenditur, ut ponatur sub ter modium, sed in candelabrum, ut splendeat omnibus, qui sunt in domo ; ita splendeat lux vestra coram hominibus, ut videant vestra bona opera, glorificentq; Patrem vestrum qui in cœlis est, Matth. 5: 15, 16. Hisce verbis Christus omnibus iis, quos præclaris donis præcæteris ornavit, aliisque in exemplum proposuit, ferè inculcare vult, ut aliis, donis suis exemplo præcant, eosque exemplo suo ad praxin

bonorum operum commoveant, idque eo fine, ut ipse in eis, & per eos glorificetur, qui talia dona dedit, nempe Pater, qui est in cœlis. Magnū beneficium est, si cui Deus largitur gratiam, quā multa bona operari & prodesset queat in Ecclesia ejus: at major est gratia tum, si talis id efficit, & tamen humilis manet, non superbit, & suam gloriam per id quærit, sed omnia dirigit ad sanctorum communionem, ædificationem Ecclesiæ, & glorificationem nominis divini. Prout verò illud per preces à Deo obtinere debemus, utpote qui à natura inepti ad omne opus bonum, non idonei ad cogitandum aliquid boni, 2. Cor. 3: sic si obtinimus, Deo gratias agere, illudque ut à Deo profectum agnoscere debemus, tanquam à *Patre luminum, a quo omnia bona*, &c. Jac. 1: 17. Et in hac gratiarum actione rogandus Deus, ut addat nobis gratiam, quò omnia, quæ in nobis operatus est, ad suam gloriam, & Ecclesiæ ædificationem convertere possimus ; prout hæc omnia videmus in exemplo Pauli & Philemonis.

Hactenus intelleximus, quomodo Paulus precatus sit pro Philemone, & quomodo Deo gratias egerit de fide ejus in Jesum Christum, & charitate erga omnes sanctos, quæ dona in Philemone fuere valde conspicua ; prout vos in Concionibus præcedentibus edocuimus satis fuse. His verò D. Paulus non acquiescit, sed, prout hactenus indigitavit, se mentionem facere Philemonis in precibus suis, sic in jam prælectis verbis monstrat causam finalem precationis suæ, quo fine sic oret & Deo gratias agat de fide & charitate Philemonis, nempe, *Ut communicatio fidei*, &c. Ita ut hæc verba sint connectenda cum vers. 4. *Mentionem facio in precibus*, &c. & *rogantur communicatio*, &c. Et sic

Textus.

1. Orat, ut fides Philemonis etiam manifesta fiat apud alios.
2. Deinde declarat, quomodo? scil. per communionem & notitiam omnibus boni, quod in ipso Philemone & suis inhabitet.
3. Notat causam boni Jesum Christum, qui omne bonum in nobis operatur, Phil. 1: 11. vel ut alii, scopum & finem, qui in communiōne fidei respiciendus, qui est gloria Jesu Christi, ut is glorificetur.

De I. Apostolus dicit se orare ut fides Philemonis efficax fiat & manifestetur, puta etiam aliis, idque magis & magis per uberiore fructus suos & efficaciam ; neque solum hoc, sed & ut omne bonum, quod in Philemone, aliis innotescat, quippe cum fides nunquam sit sola, sed semper cum aliis donis ; vovet igitur hic Apostolus, ut hoc etiam pateat aliis, ut hac ratione permoveantur ad eandem fidem & virtutes patres, prout exempla sæpe magis afficiunt, quam regulæ ipsæ.

Δ. Apostolus nos hoc suo exemplo docet, in genere, nostri esse officii, omni studio eò collimare in precibus, suspiriis & aliis mediis

DOCTRINA.
Incrementum boni in nobis & aliis avidè desiderandum ac promovendum.

facris, ut omne bonum in nobis & aliis crescat per Iesum Christum, ad gloriam Dei, nostram & aliorum adificationem. Hoc nos docet (inquam) Paulus suo exemplo, qui non tantum oravit pro fide & charitate, sed orat jam, ut fides & virtutes aliæ crescant & manifestentur ad aliorum etiam ædificationem. Cùm olim Moysi indicaretur, duos viros in castris prophetare, & Spiritum sanctum in eis esse, id est, eos dona hæc accepisse ad ædificandum populum, Num. 11:29. Josua quidem putabat hoc impediendum, stabat quippe à Mose, putans hoc ipsius existimationi aliquid derogare: at tantum absuit, ut Moses hoc improbaret, ut potius optaret, *Utinam totus populus prophetaret!* Quasi dicat, Josua, Josua, ne pro me æmulus esto, nemini invidere debemus dona Dei, vel ea impedire, sed ea adhibere, & aliis optare, quia ad Dei gloriam ac ædificationem proximi faciunt. Hic etiam Moses suo exemplo docuit, id allaborandum esse, ut omne bonum, quod Dei gratiâ in uno aut altero apparet, ad commune bonum conferatur.

Similem planè tradidit regulam Servator Marc. 9:38. Luc. 9:49. Noster Apostolus, prout hic orat, ut dona Philemonis crescant communi bono, ita idem facit, 1. Theff. 4:1. Thessalonicenses jam profecerant in fide, charitate, aliisque virtutibus Christianis, sic enim laudat, 1. Theff. 1:3. & vers. 6. & 1. Theff. 2:13. 1. Theff. 5:1, 2. & 1. Theff. 4:9, 10. En quàm benè Christianismi se habeant. At nihilominus dicto loco rogat Apostolus, ut fiant adhuc ampliores, ut crescant in charitate, 1. Theff. 3:11, 12. Huc facit augusta illa exhortatio Apostoli, 1. Tim. 4:14, 15. Hebr. 6:1. Ejusmodi dicta & exempla restant complura, quæ docent, quòd nos invicem mediis sacris promovere & ædificare debeamus, ut semper crescamus in fide, charitate & donis aliis. Nam

Rationes.

1. Professio fidei & vita Christiana in sacra Scriptura comparatur ambulationi, ut sic notetur, semper ultra progrediendum esse, non subsistendum, sed semper pergendum, nondum enim ad scopum & metam curricula pervenimus. Sic Apostolus ipse hoc utitur simili, 1. Theff. 4:1. Quasi dicat, viam nōstis, quâ ambulandum, & nondum pervenistis ad perfectionem, ideo strenuè pergite: Via est via mandatorum Dei, verbi Dei & omnium virtutum Christianarum, viator est quivis professor fidei, finis viæ est vita æterna; qui nostrum cursum observat, Deus est, daturus coronam iis, qui cursum absolverunt; qui ergo subsistit in via, metam non attinget; qui verò pergit assiduè, tandem coronam & brabeum consequetur, ad quod propterea crebrò excitamur, 1. Cor. 9:25. Matth. 24:13. Apoc. 2:26, 27. & 3:5, 12.

2. Veri Christiani vocantur filii Dei; filii verò crescunt & adolescunt staturâ & notitiâ, si necessarium suppetit alimentum: qui enim non crescunt, vocantur pygmæi: Sic necesse ut filii Dei, Christiani crescant & incrementum

cipiant in omnibus donis, donec ad perfectionem perveniant in Christo, Eph. 4. Confer, Psal. 84:7. 1. Cor. 14:20. Phil. 1:11. *Infantes esse debemus in nequitia, non intelligentiâ.* Terentius: *Pueri inter sese quàm pro levibus noxiis iras gerunt?* Pueri iras & amicitias uno momenta exercent, licet inter sese ob leves offensivunculas irascantur, facillè tamen iterum componuntur & reconciliantur: Sic nos affecti esse debemus; at ne simus pueri intelligentiâ, sed crescamus sapientiâ & intelligentiâ, ut exercitatos acquiramus sensus, Hebr. 5:10.

Jure dicere possumus ex Hos. 4:1. *Contentio est febova cum habitatoribus hujus terræ, quòd nulla est fides, nulla agnitio veri Dei, nulli qui crescere & alios ædificare satagunt:* Ecclesia est Christi Schola, Christus Magister, nos discipuli sumus; idè in hunc mundum sumus editi, ut simul ac ad annos discretionis pervenerimus, nos tradamus instituendos Magistro, Scholam ejus frequentantes. Si filios nostros mittimus in Scholam erudiendos, ipsi verò sibi semper manent similes, nec proficiunt, minimè acquiescimus, sed dubitamus aut de diligentia Magistri, aut de capacitate discipuli, aut de utroque; eos quippe ideo in Scholam mittimus, ut progrediantur in cognitione, quòd & alios suo tempore erudire queant, non autem ut in æternum discipuli maneant. Quæ nostra conditio? Discipuli sumus in Schola optima, Ecclesia Christi; Doctorem habemus summum, Deus nos quotidie in Scholam vocat, ut discamus ex ore Filii sui, hic nos subdidit Ministris suis, ut nos ipsius nomine instruant & ad ipsius agnitionem perducant. Adeoque requiritur, ut in hac Schola quotidie incrementum capiamus & crescamus in fide, charitate, obedientia, zelo, castitate, temperantia, humilitate, pietate, & partibus aliis sanctitatis: tum sumus boni discipuli, si hæc bona crescunt in commune bonum omnium, si pergimus de bono in bonum, de fide in fidem, sicque respondemus mediis adhibitis, aliosque nostro exemplo etiam lucrificamus.

At eheu! quàm multi sunt miseri in nostris Ecclesiis, qui diu satis vixerunt sub Evangelio prædicato per decem, viginti, triginta & plures annos, per totam vitam, & tamen manent pueri notitiâ, licet annis sint decrepiti: rudiores & indoctiores ipsis tyronibus. In rebus hujus seculi, in libro naturæ sæpe docti satis & sagaces sunt; At liber Dei ipsis non est domi, & licet eum domi habeant, tamen manibus non tractant, saltem corde non tenent, sed manent rudes, semper sibi similes, non crescunt, &c. At Deus pygmæos in Schola sua non amat; sinunt annum ex anno præterlabi; nec possunt dicere, præterit annus, in quo tot & tot conciones audivi, tantum & tantum incrementum cepi, firmior sum fide, debilior vitiis, hanc & illam virtutem adoptavi, operam dedi bonæ conscientie coram Deo & hominibus; ô quàm pauci horum

Usus,
Dolendum
tam paucos
proficere
in bono.

Simile.

horum reperiuntur ! Imò revera dicere possumus, multos esse, qui dies & annos plurimos mediis salutis fruuntur, & tamen ignari quoad cognitionem, tepidi in pietate æque maneant ac ii, qui talia media nunquam habuerunt. Et hoc maximè dolendum, nos officii nostri immemores, nos ipsos & proximum negligere. Parentes, cum filii non proficiunt, plerunque præceptores accusant, &c. Idem accidit fidei sæpe Ministris, qui quod suarum est partium agunt, semper tamen recinent discipulos ignavos & ignaros. At erit, cum Deus rationem exiget & à doctoribus, & à discipulis, & qui tum nihil profecerint, eos è Schola sua exturbabit, ut aliis fecit, eosque in Scholam crucis mitter, ubi multi unâ horâ plus discunt, quàm aliàs multis annis ; & si hoc nihil proficiet, tum subiciet eos virgæ ferreæ, adeò ut talibus satius esset nunquam fuisse natis, nunquam agnovisse viam veritatis, satius esset fuisse inter Turcas, Ethnicos, Judæos, &c. quàm fuisse diu sub Evangelio, nec illud audivisse, vel non retinuisse, vel saltem non profecisse, prout omnia hæc colligere licet ex severa Christi denunciatione iudicii in eos, Matth. 11:21-24. ubi Christus civitates, Chorazin & Bethsaidam, ac Capernaum comparat cum Tyro & Sydona ac Sodomâ ; loca in quibus prædicavit, habitavit, miracula patravit, cum ejusmodi civitatibus, quæ nec Legem, nec Evangelium, nec Prophetas viderunt, doctrinam salutis ignorârunt, vixeruntque in ignorantia & idololatria ; & simul testatur, civitates & loca quæ habuere media, gravius olim in die iudicii iri puniuntur reliquis, quæ istis fuerant destituta.

Fortè hoc tibi videretur alienum & absurdum, si hodie nos comparare vellem cum Sodomâ & Gomorrhâ : novimus enim quàm mali & detestabiles fuerint, peccata eorum abominationes dicimus, ob hæc scelera à Deo de cælo igne & sulphure consumptos profitemur, Ez. 16:49. Gen. 19:24. Nihilominus hoc dico à Deo secundum verbum ejus, ex quo iudicabimur die novissimâ, si multi ex nobis pergunt hoc & securis annis in impio contemptu Dei & verbi ejus prædicati, manentque steriles sub mediis hisce, ipsis satius fuisset esse natis Sodomæ vel Gomorrhæ ; Nam certè juxta Christi effatum, iudicium ipsorum erit severius, cum peccatum sit atrocius ; nullum enim scelus est majus contemptu Dei, Christi, ejusque Evangelii, prout nullum majus beneficium est frui-tione Evangelii Christi in pace : prout ergo excedit peccatum, sic & pœna excedet, sicque tolerabilior erit civitatum illarum conditio ultimo die conditione nostræ civitatis, in qua Christus habitavit, diu, diu docuit, diu mira fecit, &c. Id adeò enixè perpendamus, ut seriam agamus pœnitentiam ; Chorazin, Bethsaida, Capernaum multis gaudebant, quæ laudabant, privilegijs præ cæteris, prout & nos, at ἀρχαίσις αὐτῶν & peccatis adeò excessere, ut hæc iudicia si-

bi attraxerint, ut conditio Sodomæ tolerabilior facta sit tali ingratitude & contemptu Dei. Convertite vos in tempore, antequam nostra conditio fiat Judæorum similis, qui tamen populus Dei erant, eoque elaborate, ut & vos & alii per vos ædificentur ad Dei gloriam, &c.

SERMO LXXV.

Textus idem Philem. v. 6.

Ὅπως ἡ κοινωνία τῆς πίστεως σε ἐνεργῆς γένηται ἐν τῇ ἐπιγνώσει παντὸς ἀγαθῆς τῆς ἐν ὑμῖν εἰς Χριστὸν Ἰησοῦν.

UT communicatio fidei tuæ efficax fiat, ut agnoscatur quicquid boni est in vobis per Jesum Christum.

IN articulis fidei indubitatae & verè Catholicæ omnes credimus, esse Communionem sanctorum, dum dicimus, Art. IX. *Credo sanctam Ecclesiam Catholicam, sanctorum Communionem* : Id est, credimus, omnes & singulos fideles esse membra Jesu Christi capitis Ecclesiæ, ex quo totum corpus, id est, Ecclesia, adeoque singula membra Ecclesiæ, accipiant vitam, motiones & sensum, imò participes fiant omnium ipsius beneficiorum, ut sic magis magisque crescant in eo, Col. 2:19. Et ut communio sanctorum est in Ecclesia, sic inter eos, qui sunt membra hujus communionis, etiam debet esse communio donorum inter se; unum quodque membrum sua dona ad utilitatem & salutem aliorum adhibere tenetur, idque etiam eo fine, ut se invicem ædificent ad incrementum & ædificationem Ecclesiæ, Eph. 4:15, 16. Et eò collimat etiam Apostolus in prælectis verbis, in quibus orat, ut fides & dona in Philemone agnoscantur per communicationem, ut non tantum hæc in ipso Philemone crescant, sed & in aliis, qui vitam ejuspiam & suavissimam videntes ædificentur ad Dei gloriam. Et hæc est Apostoli precatio, hic ejus scopus. Ex quo proinde nuper prædictus,

Δ. Quòd sit nostri officii, ut (exemplò Pauli) precibus aliisque Deo probatis medijs annitatur, ut nobiscum proximus noster ad incrementum in fide, charitate, aliisque virtutibus Christianis promoveri queat. Hoc demonstravimus claris testimoniis, exemplis, rationibus, quæ omnia sine dubio adhucdum in recenti hærent memoria.

Hoc autem facit ad Reprehensionem justam multorum, hoc officium non observantium: quorum tria præcipuè sunt genera :

1. Sunt qui semper hærent in eodem, nec crescere cupiunt, nedum ædificare alios :
2. Qui non tantum non cupiunt crescere, sed etiam decrescunt :
3. Qui invidi sunt, cum vident alios in bono manifestè crescentes ac auctos,

Y 3

1. Quod

Exordium.

DOCTRINA.
Vide supra.

Usus I.
Culpandi sunt acriter.